





J H von Marley

*Contenta*

- 1 Capitolum de Iuribus Foeminarum
- 2 Feltman ad Institutiones
- 3 ut L 14 Locati L 2 C de pugno.
- 4 } Innenij pars 3 et 4
- 5 }
- 6 Centuria posttronum
- 7 Prostatajone Errationes
- 8 de Judicis
- 9 de Remuntratione Iury sui facita
- 10 de Wicto Proctorij Nante Caupone &c
- 11 de Confessi Parentum in Nuptijs
- 12 de Ufpi Petri in Catharoy

2

D I S P U T A T I O J U R I D I C A  
I N A U G U R A L I S ,  
ad

L. Q U I A D C E R T U M .

XIV. D. Locati Conducti,

&

L. Q U A M V I S C O N -  
stet. II. C. de Pign. & Hypoth.

Quam

S U M M A E E T I N D I V I D U A E T R I N I T A T I S  
AUXILIO ET PRÆSIDIO,

Ex

D E C R E T O & A U T H O R I T A T E

*Magnifici, Amplissimi ac Consultissimi,*

A N T E C E S S O R U M O R D I N I S ,

in Alma Brandenburgica, quæ Duisburgi Clivo-  
rum est, Universitate literaria,

Pro


Summis in Utroque Jure Honoribus ac Privilegiis  
Doctoralibus rite ac solenniter consequendis,

*Publicæ disquisitioni proponit*

WERNERUS JUSTINUS PAGENSTECHER,

D U I S B U R G O - C L I V I U S ,

a. d. 8. Mart. in Auditorio majori, horis consuetis.



D U I S B U R G I ad R H E N U M ,

Apud FRANCONEM SAS, Academiarum Typographum,  
Anno M. DC. XCIV.



os (o) 50

*Illusterrimis, Generosissimis, Illustribus,  
Magnificis atque Excellentissimis,*

AUGUSTO ATQUE POTENTISSIMO PRIN-  
CIPI AC DOMINO, DOMINO

**FRIDERICO III.**  
**MARCKGRAFFIO**  
**BRANDENBURGICO,**  
S. R. I. ARCHI-CAMERARIO  
ET ELECTORI &c. &c. &c.

**A CONSIGLIIS SECRE-  
TIORIS STATUS INTIMIS  
REGIMINIS CLIVENSIS AT-  
QUE MARCANI:**

MÆCENATIBUS MEIS SUMMIS.

**D**E Alexandro Magno referunt,  
eum militem sibi cognominem,  
sed remissioris animi, aliquando

\* 2

con-

conspicientem his verbis allocutum  
 esse: *memento te Alexandrum dici.* ita-  
 que eum officii sui commonuisse.  
 Ego, dum me ex omni Pagenste-  
 cherorum gente primum natu Cli-  
 vensem intelligo, non possum non  
 mihi inde calcar petere, cum ut eo  
 connitar atque allaborem, ne glo-  
 riosissimæ huic patriæ meæ unquam  
 sim dedecori, tum & ut quæ mearum  
 partium, etiam TUI O ILLU-  
 STRISSIME atque MAGNIFI-  
 CE ORDO respectu, sint, crebro  
 mihi ob oculos ponam. Sane mul-  
 tum temporis jam elapsum est, ex  
 quo nihil magis expetii, quam occa-  
 sionem mihi aliquam offerri, qua  
 devotissimi respectus mei ~~περιηγία~~ hu-  
 millime atque debite possem exhi-  
 bere, vixi nihilominus in hanc adus-  
     que

que horam sub isto infelici sidere, ut  
 in præsens nil aliud quam Disputa-  
 tionis meæ Inauguralis chartaceum  
 munus, obsequiosissimis manibus,  
 offerre possim. Confido tamen,  
 eundem VOBIS, O MÆCENA-  
 TES, qui Artaxerxi Persarum olim  
 Regi fuit, futurum animum, neque  
 parva atque obvia aspernaturos, sed  
 benigne potius alacriterque hæc ac-  
 ceptaturos: Quod si ego à VOBIS,  
**PATRONI COLENDISSIIMI,**  
 feliciter impetravero, animus mihi  
 addetur, & majora audendi & MA-  
**GNIS NOMINIBUS VESTRIS**  
 me meaque ulterius devote propor-  
 ro commendandi. Suscipite ergo,  
**BENIGNISSIMI DOMINI**, hoc  
 inaugurale meum schediasma Sere-  
 na fronte, temporis equidem valde

• OS (o) 50

exigui vix maturum fœtum , sed cu-  
jus ego defectus , observantiæ erga  
Vos atque devotionis meæ magni-  
tudine atque perpetuitate , supplere  
enixe contendam. Ita VOS Deus  
Ter Optimus Maximus multos ad  
annos clementissime sospitet ! quod  
calidissimis votis vovet

O M N I U M  
ILLUSTRISSIMI ATQUE MAGNIFICI  
ORDINIS VESTRI  
ATQUE SINGULORUM

DOMINORUM MEORUM ATQUE  
PATRONORUM COLEN-  
DISSIMORUM

Enixissimus & devotissimus cultor

WERN. JUST. PAGENSTECHER.



## A N T I C U M.

Um variæ pro feligenda Disputationis  
 Inauguralis materia per totum jus mihi  
 occurrerent nobilissimæ materiæ, tum  
 & multum suspensus hærerem qualem  
 potissimum feligerem, non peccatu-  
 rum me arbitratus denique sum si le-  
 ges illas, *legem inquam 14. ff. Locat. Con-*  
*duct. & l. 2. C. de Pignor. & Hypothec.* quas Amplissima  
 Facultas Juridica pro examine (quod audit) rigoroso mi-  
 hi enucleandas a. d. 23. nuperi Februarii Gregoriani in-  
 junxit, nunc & publice ad incudem revocarem. Enim-  
 vero si judicio Virorum Excellentissimorum dictæ leges  
 aptæ visæ sunt ad quas ceu ad Lydium lapidem studia  
 mea explorarentur, insubidum si non infrunitum videri  
 posset si easdem ineptas censere vellem publicæ censu-  
 ræ. Tanto autem magis præfatæ Triumviralis Ampliss.  
 Facultatis judicio, Tu, Lector Candide, egoque ac-  
 quiescemus, quo minus negari potest, dictas leges sua  
 sc utilitate ipsas satis commendare. Sit igitur, missis ul-  
 terioribus ambagibus, disputationis pars alterplex: prior  
 ad d. l. 14. ff. Locat. Conduct. posterior ad d. l. 2. C. de  
 Pignor. & Hypothec. Deus autem & hic & isthic clemens  
 mihi adsistat.

A 2

P A R S

P A R S P R I O R  
P A R S P R I O R

*Exhibens intellectum*

L. QUI AD CERTUM. XIV.  
ff. Locat. Conduct.

§. I.

**V**Erba memorati textus sunt hæc: *Qui ad certum tem-*  
*pus conductit, finito quoque tempore colonus est: Intel-*  
*ligitur enim dominus, cum patitur colonum in fundo esse,*  
*ex integro locare: & hujusmodi contractus neque verba*  
*neque scripturam utique desiderant, sed nudo consensu con-*  
*valescunt, & ideo si interim dominus furere cœperit, vel*  
*decesserit, fieri non posse Marcellus ait, ut locatio redin-*  
*regretur: Et est hoc verum.*

§. II.

Ut vero clare pateat mens legis, fingamus casum: V.  
g. Titius locat Cajo fundum ad quinque annos, quibus  
clapsis Cajus ulterius in fundo, Titio tacente & paciente,  
manet, ex qua Caji mansione & Titii patientia fundus  
censeretur tacite reconductus. Si vero Titius incipiat fu-  
rere vel moriatur antequam Cajus reconductionem inci-  
pere possit, tacita reconductio cessat.

§. III.

Ex qua facti specie patet textum in *l. nostra 14. con-*  
*tinere regulam & ejusdem limitationem. Regula est:*  
*Condu-*

AD L. XIV. ff. LOCAT.

Conductorem prædii rustici ultra tempus locationi alias præfixum in prædio conducto permanentem, censi reconduxisse. Limitatur: Nisi locator furere cœperit aut morte extinctus sit. Et quidem circa dictam regulam primo quæres, an ad quinquennium repetita censeatur locatio-conductio? Respondeo ex præcedenti l. 13. §. f. cod. Colonum qui finito tempore conductionis manet in rustico prædio reconducere illud prægium ad annum unum, non ad quinque; dum dicitur inibi: *Quod autem diximus, taciturnitate utriusque partis colonum reconduxisse censi, ita accipiendum est, ut in ipso anno quo tacuerunt, videantur eandem locationem renovasse, non etiam in sequentibus annis, & si lustrum forte ab initio fuerat conductioni præstitutum: Sed & si secundo quoque anno post finitum lustrum nihil fuerit contrarium actum, eandem videri locationem in illo anno permansiſſe, hoc enim ipso quo tacuerunt, consensiſſe videntur, & hoc deinceps in unoquoque anno obſervandum est.* Ratio hujus juris est, quod locatio conductio respiciat usum: at hic ex prædio rustico regulariter percipi nequit, nisi anno fructibus jam maturis inclinante. Verum dicere quis posset, huic textui contrariari nostram l. 14. in verbis: *ex integro locare.* Ita ut non ad annum censeatur facta relocation, sed ad totum tempus, veluti casu supra posito quinquennii, quia alias non *ex integro* relocationem factam esse dici possit. Ast notandum hæc verba: *ex integro* respicere ad l. præced. ita ut locatio conductio ex integro fiat respectu novæ locationis hujusque accessorii pignoris, ut de novo haec tenus locatio facta censeatur, non vero respectu totius temporis ad quod prior locatio contracta, ut adeo phrasis hæc: *ex integro:* notet idem quod *denuo*, sive, ut vulgo loquuntur, *de novo.*

A 3

Certe

Certe hæc acceptio in jure nostro valde frequens est: Vid. §. ult. I. de actionib. l. 45. §. ult. de minorib. l. 25. de Dol. mal. l. ult. C. Si advers. transact. locisque compluribus aliis. Sed adscribam in præsens unum saltem, qui id quod dixi vel solus firmabit & declarabit. Intelligo l. 58. §. 3. ff. pro soc. ibi: *Si servus meus societatem cum Tilio coierit & alienatus in eadem permanserit, potest dici alienatione servi & priorem societatem finitam & ex integro alteram inchoatam.*

## §. IV.

Uti vero hac in parte Doctores conveniunt, ita contra quoad prædiorum *urbanorum* reconductionem tacitam, in Quæstione, ad quod tempus illa facta esse censematur? immane quantum dissentunt. Est autem hoc in puncto textus in d. l. 13. §. f. locat. ¶. In *urbanis autem prædiis*. cuius versiculi sensum ut tanto melius percipere possimus, enotemus ejus verba, & sunt hæc: *In urbanis autem prædiis alio jure utimur: ut pro ut quisque habitaverit, ita & obligetur: nisi in scriptis certum tempus conductione comprehensum est.* In explicatione hujus versiculi potissimum quinque sunt Doctorum Sententiæ, quas ordine videbimus.

## §. V.

Aliqui Doctores quorum sententiam referre *Castrensem* testatur Fransk. ad tit. ff. Locat. n. 14. putant, quod pro nullo tempore censematur facta tacita reconductio in prædiis urbanis, sed quod obligetur conductor solum ad mercedem pro eo tempore prout conductor mansit in re con-

AD L. XIV. ff. LOCAT.

re conducta post finitam locationem, ob æquitatem generalis, ne conductor cum damno locatoris locupletior fiat. Verum hanc sententiam jam pridem explosam esse testatur Fransk. d. l. & recte: nam totus contextus loquitur de *reconductione tacita*, usque ad versiculum, *nisi*: quæ particula diversitatem inducit, significatque oppositum ejus cui immediate adversatur. *Surdus de aliment. tit. i. quest. 104. num. 7. Cened. singular. 23. n. 2.*

§. VI.

Secundo: Aliter sentit Struv. in *Syntagm. Jur. Civil. Exercit. 24. th. 7.* post Franck. d. l. n. 24. qui distinguunt aut ad certum tempus v. g. ad lustrum locatio est contracta, aut vero merces determinata est quo ad annum vel mensem, ita tamen ut liberum sit, quounque conductor habitare velit: Priori casu sive in scriptis sit facta locatio sive non, nihilominus ad totum tempus prout quis antea habitavit reconductio facta censetur: Posteriori casu reconductio factam esse asserunt ad illud duntaxat tempus prout quis habitavit post finitam locationem primam. Sed hanc sententiam refutatam vides in Amplissimi Dn. Pagenstecheri fratri ac Professoris hactenus mei plurimum honorandi, *Sicilimentis ad Lauterbach. in manip. i. Sicil. 47.* Certe cum textus expresse inferat differentiam inter locationem factam in scriptis vel non, male contra verba legis clara hæcce confundes, neque distinctio, an nempe certum tempus sit constitutum vel non, fundatur in lege, nam loquitur per tot. h. §. f. de casu si certum tempus adiectum.

§. VII. Ter-

## §. VII.

Tertio: Alii faciunt talem Regulam: Si in scriptis non est facta locatio, tunc rem reconductam tantum esse ad illud tempus prout quis post finitum tempus locationis habitavit: Quod assertum limitant; Nisi in scriptis fuerit facta locatio, tunc enim reconductio tacita censetur facta ad idem tempus prout quis ante finitam primam conductionem habitaverit. Ita Lauterb. *ad tit. ff. Locat. in pr. Brunneim. ad l. 13. §. f. Locat. Christian. V. 3. decis. 116. n. 2. Grocnev. ad l. 16. C. b. n. 6. Add. Cyprian. Regner. ab Osterga Censur. Belgic. ad l. 13. §. f. & l. 14. ff. Locat. conduct. & alii.* Sed & hanc sententiam quantum ad limitationem (nam quantum ad regulam acceptatur) refutatam vides *in d. Sicilim. ad Lauterb. 47.* Nam locatio conductio si in scriptis est facta, constat dupli vinculo nempe scripture & consensu, jam licet consensus hic presumatur, literæ tamen nequeunt tacite repetitæ censeri, quia tacite quidem possum consentire & quoque facto *l. 16. C. Locat. l. 31. ff. Pro socio. Lauterb. ad tit. ff. de Pact. in C.* scripture autem expresse debet constitui. Cum igitur locationem alio modo quam in scriptis contrahere, ipsis non placuerit, sequitur scripture omissa non voluisse ipsos iterum relocare aut reconducere absque scripture: id enim nunquam inter ipsos placuit: imo contrarium antea expresse placuit. Adeo ut in claris conjecturæ, ipsis scil. voluisse reconducere sine scripture, non sit locus. *l. 137. §. 2. ff. de V. O.*

## §. VIII.

Quarto: Alii, si non in scriptis sit facta locatio tunc reconductionem

AD L. XIV. ff. LOCAT.

9

conductionem fieri ad illud tempus prout quis antea habitaverit. V. g. si ad lustrum sit contracta, etiam ad lustrum reconductam censeri ajunt. Si vero in scriptis sit facta locatio, tunc reconductionem cessare licet permanferit ultra tempus in re locata conductor *arg. l. 7. C. de nupt. l. 1. §. 4. quare si quis. ff. de eo qui pro tutor. Costal. in d. l. 13. §. ult. h. t. aliquie ex Veteribus teste Azone & Bartolo apud Frantzk. ff. Locat. n. 14. quos ex Neotericis sequitur Vultej. in pr. I. de Locat. cond. n. 11. & Harprecht. ibid. num. 18.* Argumenta horum sunt hæc: 1. quod fiat renovatio: Ergo ejusdem contractus. 2. quod renoveretur *eadem* locatio *l. 16. C. Locat.* 3. quod mutatio voluntatis non præsumatur. Respond. ad 1. & 2. renovatio fit ejusdem contractus, sed *inchoative* tantum. *vid. supra* § 3. Ad tertium respondeo in claris non esse conjecturæ locum, veluti si locator vel conductor hactenus tacentes, nunc expresse dissentiant.

§. IX.

Tandem quintam Sententiam fovent DD. Communiter teste Costalio *in d. l. 13. §. in Urbanis*, ubi allegat Bartol. Bald. & Paul. de Castro. Ita & sentiunt Castrensi. Salicet. apud Frantzk. n. 15. d. l. Aliique Doctores Neoterici ut Gothofred. ad d. l. 13. §. f. Carpzov. Menoch. Schilter. Bockelman. Mevius comm. in Jus Lubecens. part. 3. tit. 8. artic. 2. num. 7. & Dn. Pagenstecher in d. Siciliment. ad Lauterb. 47. man. 1. Secundum quos Regula eadem observatur quæ præcedenti §. 7. proposita fuit: Quod nempe si in scriptis non sit facta locatio, tunc rem tantum esse relocatam pro tanto tempore, quanto conductor, post finitam primam conductionem, habitaverit, seu

B

in

PARS PRIORIA

in ædibus conductis permanferit. *Limitatio vero hæc ea- dem est quam vidimus in §. 8. preced.* Si enim in scriptis sit facta locatio, tunc plane nulla reconductio facta cen- setur, licet conductor patiente locatore ulterius in do- mo conducta permanferit. Et hanc ultimam ut funda- mentis juris magis innitentem veriorem existimo: Regula enim satis clara est, *quod reconductio tacita fiat ad illud tempus prout quis habitaverit post finitam primam loca- tionem*: totus enim contractus constat consensu, uti prior locatio expresso, ita posterior tacito; Verum hic tacitus consensus dependet à facto, habitatione & patientia, adeoque taciturnitate utriusque partis, hinc quamdiu tacent tamdiu consentiunt, quamdiu consentiunt ma- net contractus, sed quamprimum unus ex illis non ta- cetur amplius & incipit dissentire, eo ipso statim consen- sus tacitus dissolvitur, per consequens & ipse contractus, nam tamdiu consentire finguntur quamdiu tacent, si ve- ro expresse patet, dici non posse eos consentire, patet fictionem hanc juris non debere quid operari contra ipsam veritatem: Hinc consequens est quod dominus non necesse habeat expectare annum vel aliud certum tempus, sed posse cum conductorem expellere pro lu- bitu, quod & jam olim defendit Joannes Glossator, refe- rente Accursio ad d. l. 13. §. f. Neque hic locum potest habere regula Juris ex l. 5. C. de Oblig. & Action. quod prius est voluntatis postea sit necessitatis, quia hæc voluntas suum esse habet non in taciturnitate, sed in ex- presso consensu; Sed in nostro casu tamdiu voluntas ad- esse fingitur, quamdiu non constat eos dissentire. Neque obstat l. 16. C. Locati. loquitur enim de prædio rustico de quo Regulam vidimus supra §. 3. quod nempe solum ad annum reconductio facta censeatur, uti verba: *eandem locationem*

*locationem: explicari debent ex d.l. 13. §. f. ff. Locat.* non enim est novum ut priores Leges ad posteriores trahantur ut ait Paulus in l. 26. ff. de Legibus. Objici posset, quod uti in Limitatione nostra requiritur scripturæ renovatio, ita & hic requiri temporis renovationem, adeoque non posse ad brevius tempus contrahi locationem ex post quam ante contracta fuit. Respond. Antea consensere in illud tempus expresse, sed postea non potuerunt ulterius consensisse quam tacent, præsumi. Dein Limitationis nostræ, *Quod si in Scriptis sit facta locatio tunc plane nullam reconductionem factam esse, sensum exhibet plane textus in d.l. 13. §. f.* Dum primo dicit: *in urbanis autem prædiis alio jure utimur.* Cum nempe dixisset JCtus quod in prædiis rusticis relocatio fiat ad tempus nempe ad annum, jam ait: *alio jure utimur in urbanis prædiis: ut prout quisque habitaverit, ita & obligetur:* Adeoque dicit reconductionem factam esse ad tempus prout quis habitaverit: Jam secundo subjungit: *Nisi in scriptis certum tempus conductio comprehensum est, tum enim secus est, si secus, ergo non debet relocatio fieri, uti fit in regula, neque JCtus distinguit inter tempus conductio, sed ait quod reconductio tacita fiat si non in scriptis facta est locatio, jam si in Limitatione subiecta quoque esset reconductio, tunc utroque casu esset reconductio, quod tamen non vult JCtus.* Neque poteris dicere, in Regula esse tempus pro ut quis post habitavit, sed in exceptione pro ut quis ante habitavit, nec viceversa, quia nihilominus utroque casu esset reconductio, eum tamen in Regula debeat esse solum reconductio, non in Limitatione. Ratio vero quare in Limitatione nostra nullam dicamus factam tacitam locationem, patet clare, quia prior locatio est facta in scriptis, adeoque

adest duplex vinculum nempe & scriptura & consensus, jam vero si tacita relocatio censetur facta, deberent quoque omnia repetita esse, consensus vero quidem posset dici tacite repetitus sed non scriptura, adeoque necessario hic quoque fingi deberet mutatio voluntatis, quod nempe scripturam remittere voluerint, cum autem illa non presumatur, sequitur nec hic placuisse illos novam locationem incepisse. Jung. dicta §. 8. in fin. supra. Sed dices esse tamen aliquod negotium hoc casu contractum unde obligetur conductor ad mercedem praestandam. Rz. Utique obligatur conductor & quidem ex contractu innominato facio ut des, id est, patior te manere in domo ut tu mihi praestes mercedem. Multum autem intereat an quis obligetur ex contractu nominato Locationis-Conductionis an vero ex contracta innominato facio ut des, ille enim est bona fidei, hic est stricti juris, hinc in illo debentur usurae ex mora, in hoc non &c. Nunc audi Schilter. ad ff. Exercit. XXXI. §. XI. ubi ait: *In prædio urbano reconductio tacita eousque tantum extenditur, quo ad inhabitavit post primum terminum elapsum, non vero ad integrum annum, licet ante ad annum conductio facta d. §. qui implet.* Quia in prædiis urbanis qualibet parte anni fructus æqualiter percipiuntur, &c. *Man-  
tic. de tac. & ambig. cons. lib. s. t. 15. n. 2. 15. &c. &  
porro: Si in scriptis, tunc tacito consensu nullomodo reno-  
vatur dummodo scriptura ad perfectionem adhibita: ibi  
enim locationis substantia in scriptura consistit, non in sola  
consensu &c.* Secus ergo eit si scriptura solum probatio-  
nis gratia accessit l. 4. ff. de fide instrum. Verum in præ-  
diis urbanis etiam est tacita reconductio ad annum se-  
cundum Leges Transalaniæ & Ruremudentium teste  
Petr. de Greve. in Colleg. jurid. publ. ad l. 13. §. f. Locat.  
§. X. De-

## §. X.

Deinde (2.) *Jung. §. 3. supr.* patet ex hac lege nostra: Hunc contractum tacitum locationis-conductionis non desiderare verba neque scripturam, sed convalescere eundem nudo consensu tacito: utpote cum hic sufficiat in tacitis contractibus. *vid. §. 7. in fin. supr.* Hinc sequitur neque praesentiam requiri ad ineundum hunc tacitum consenium, quia nihil requiritur ad quod praesentia desideretur. *Jung. l. 24. C. Locat. & l. 17. C. de Pact.* Alias vero impleto tempore conductionis conductor invitus non tenetur manere in conductione *l. 11. C. Locat.* etiamsi sit colonus publicus vel vectigalium *l. 3. §. 6. ff. de Jur. fisc. l. 9. §. 1. de publican.* nisi publicani ex redēmptione vectigalium maximos fructus consecuti fuerint, nec vectigalia tanto locari possint, quo casu ipsi ea prioribus pensionibus suscipere compelluntur *l. 11. §. ult. ff. de Publican.* *Lauterb. ff. Locat. Conduct. in o.* Notabis hic amice Lector, verba illa: *nudo consensu:* in lege nostra respicere ad locationem quæ non in scriptis: nam si in scriptis fieri placuerit, locatio omnis, antequam scriptura accesserit, imperfecta est. *pr. I. de emt. vend.* Deinde in specie quantum ad locationes & conductiones tacitas notabis, illa verba respicere præcedentia illa: *Scripturam: verba:* Sane enim in hisce tacitis etiam accedit factum ex quo consensus colligitur.

## §. XI.

(3.) Patet ex d. l. nostra (*Jung. §. X. præced.*) Quod reconductio fieri non possit si locator deceperit vel furere cœperit antequam reconductionem incipere possit con-

ductor, quia à parte locantis deficit consensus, adeoque cum claudicet contractus, subsistere nequeat. Nam mors infert defectum tacitæ voluntatis, quia mortuus consentire nequit, fictio autem cessat ubi veritati locus esse debet, uti idem obtinet in precario. *l. 6. ff. de Pre-*  
*cario. add. l. 16. de adopt.* Sed objicere quis posset, here-  
dem defuncti locum occupare adeoque continuare con-  
sensum defuncti. Respond. Heres non succedit in con-  
sensum defuncti sed solum in ejus jus. Hinc si heres de-  
functi vel curator furiosi finitum conductionis tempus  
esse sciverint, conductorem tamen passi sint morari in re  
conducta, conductio tacita ex persona heredis & cura-  
toris renovata intelligitur *arg. l. 24. Pro socio.* Furiosum  
autem non posse authorem esse novæ reconductionis  
patet, quia nequit pacisci, pacisci autem impediuntur qui  
carent intellectu quales & sunt furiosi *l. 5. l. 40. ff. de R.*  
*7. l. 70. §. 4. de Fidejuss.* si modo non habeant dilucida in-  
tervalla *l. 6. C. de Curat. furios.* Obj. *l. 2. §. fin. Solut.*  
*matrim.* quod filia furiosa ibi per dementiam contra-  
dicere non possit, ut credendum sit ipsam consentire. *R.*  
*(1.) hoc favore dotis introductum esse. Gothofred. ad d.*  
*l. 2. lit. o.* quia dos aliter constitui nequit nisi admissa hac  
fictione. *R.* (2.) patrem ibi fuisse loco Curatoris sive  
filiae furiosæ *l. ult. C. de Curat. furios.* *Jung. l. 8. §. 2. de*  
*Opt. vel Elect. legat.*

## §. XII.

Quæri autem hic solet, quâle tempus requiratur ad  
ineundam tacitam reconductionem; si conductor finita  
locatione prima permanserit in re conducta. Resp. ex  
*l. 1. in fin. de Jur. deliber.* Quoties certum tempus lege  
defini-

definitum non est, toties arbitrio judicis relinquendum, hinc moderate agendum cum conductore arg. l. 9. de servit. Groenvv. ad l. 16. C. Locat. num. 7. hinc licet per paululum tempus remanserit in re conducta non ideo de novo relocasse censeri debet. Gomez. tom. 2. resol. cap. 2. num. 16.

## §. XIII.

Ex eo quod in rustico prædio reconductio solum facta censemur ad annum ob rationem quia fructus solum percipiuntur semel in anno. Inferunt Doctores (1.) Idem aliquando obtinere in urbano: Ita ut si talis domus sit ex qua non percipiuntur fructus uniformiter in qualibet parte anni, sed præcipui e. g. nundinarum tempore, ita ut ejus intuitu prima conductio facta fuerit, vel quod semel certo die vel tempore domus conduci soleant, tunc quoque ad totum annum reconstructionem factam esse statuunt. Gomez., Trentacing., Molin., Mevius, Mantica, Frantzkius apud Lauterb. ff. Locati Cond. (2.) Si prædiū rusticum locatum esset ex quo fructus non percipiuntur nisi de quinquennio ad quinquennium, non vero de anno ad annum, tum reconstructionem etiam factam tuisse censemur ad quinquennium: Ut econtra posito prædiū esse ex quo fructus percipi possunt bis in anno, uti fieri in prædiis Ægypti testatur Plinius lib. 3. natural. hist. cap. 20. jam reconductio facta censemur ad medium annum, ob eandem rationem quæ est in utroque prædio tam rusticō quam urbano. Fransk. d. l. n. 18. Schwyndend. annot. ad Eckolt. tit. Locat. §. 2. in fin.

## §. XIV.

Quæri præterea solet occasione hujus materiae (1.) an præscribi

præscribi possit jus locatoris dum per longissimum tempus mercedem accipit à conductore, ita ut facultas alteri rem eandem locandi adimatur. Aff. Baldus, Angelus & Harmenopulus teste Gothofred. *ad nostram l. 14.* Sed potius negandum censeo, cum ab arg. *l. 2. C. de Praescript. 30. vel 40. annor.* tum quia hæc res est meræ facultatis, locare nempe huic vel illi, nisi locatori alteri locare volenti conductor contradixerit ac huic contradictioni steterit locator, tunc enim huic juri præscribitur uti rei immobili per *l. ult. in fin. C. de Praescript. long. temp.* Sed secundum Jus Canonicum & Mores bonam quoque fidem heic requiremus. Dein quæri solet (2.) An reconductio tacita censatur facta iisdem clausulis ac accessoriis uti Pignore adjecto, eodem pretio, quibus prior locatio facta est. Quod Affirm. Lauterbach. *ad ff. tit. Locat. obl. 13. §. f. ff. & l. 16. C. Locat. Ampl. Huber. Praelect. ad ff. cod.* Quod secus est in fidejussione utpote quæ dependet ab arbitrio tertii *l. 7. C. Locat. Brunn. ad d. l. 13. §. f. Gothofred. ad nostram l. 14. ff. Locat.* Neque poena repetita censetur secundum Mantic. *de tac. & ambig. conv. lib. 5. tit. 15. n. 21. 23. Diff. Caroc. de loc. p. 2. tit. de renov. loc. num. 4.* Neque tacita locatio extenditur ad pacta adjecta locationi quæ sunt contra vel præter naturam, juxta Alex. *conf. 76. l. 5. Bero. conf. 140. 21. lib. 1. consil. 153. 18. & 43. l. 1. Mantic. d. t. 15. n. 19. 20. 32.* (3.) An locatio conductio tacito consensu ab initio contrahi possit. Aff. Ut si quis ædes sciente & paciente domino inhabitet, & singulis annis certam pensionem solvat. Mozz. *de contract. cap. de divis. locationum. II. Eckolt. ad ff. tit. Locat. conduct. §. 2.* Præcipue cum factum magis consensum inducat, quam verba *l. 31. ff. Pro socio. Hahn. ad Vves. de Locat. Conduct. n. 4.* Dissentient Bachov. *V. 1. ff. 29. th. 1. lit. 6.*

*lit. c. verb. vel tacite. & Lauterb. ad tit. ff. Locat. Verum hos refutat Berger. in Resolut. LL. Obstant. ad Lauterb. ad y. Tacito utriusque consensu. Et hæc sufficient pro instituto nostro de priori lege proposuisse; Pergamus ad Legem alteram 2. C. de Pignorib. & Hypothec. eamque etiam aliquomodo lustremus.*

## P A R S P O S T E R I O R *Exhibens intellectum*

### L. QUAMVIS CONSTET. 2. C. de Pignor. & Hypoth.

#### §. I.

**C**Ujus sensum ut tanto accuratius aggredi possimus, ante oculos nobis ponenda sunt ipsa verba legis nostræ quæ nobis reliquerunt Imperatores Severus & Antoninus tali modo: *Quamvis constet specialiter quædam & universa bona generaliter adversarium tuum pignori accepisse, & æquale jus in omnibus habere, jurisdictio tamen temperanda est. Ideoque si certum est, posse eum ex his quæ nominatim ei pignori obligata sunt, universum redigere debitum, ea quæ postea ex eisdem bonis pignori accepisti, interim tibi non auferri. Praeses provinciae jubebit.*

#### §. II.

Hujus Legis esto Casus talis: Titius mutuo dat Mevio mille, ac sibi præter specialem hypothecam domus, prospicit de hypotheca omnium bonorum: Post annum

C

Mevius

Mevius à Cajo quoque mutuo accipit mille eique hypothecæ constituit fundum Tusculanum. Jam si Titius potest consequi suum creditum ex domo sibi specialiter hypothecæ constituta, vel ex aliis bonis præterquam ex fundo Tusculano, cum effectu ex generali sua hypotheca nequit petere fundum Tusculanum Cajo specialiter oppignoratum.

## §. III.

Hinc patet, si hypotheca generalis sit constituta cum speciali, prius agendum esse ex speciali & dein demum in casum hujus insufficientiæ ex generali: Cujus Juris ratio in eo sita videri posset, quod creditor in hypotheca speciali fortius jus constitutum habeat: veluti hæc ratio alibi egregie militat, uti quod creditores hypothecarii contra tertium possessorem agere possint cum effectu, si hypotheca sit specialis, cum tum beneficium Ordinis si-  
ve Excussionis tali possessori hypothecæ specialis non competat, veluti id me optime docuit Magnificus atque Excellentissimus D. Coccejus *in hypomnem. ad Instit. tit. de action. hypomn. 10. in fin.* & novis argumentis egregie firmat Clariss. D. Frater *in Irner. injur. vapul. part. 3. coit. 8.* & ita in Praxi observari testatur Brunnem. *ad l. 2. C. de Pignor.* & Petr. de Greve *ad l. 2. ff. qui potior. in pignor.* Neque hisce obstant verba nostræ *l. 2: aequale jus in omnibus habere:* De Jure enim novo id hactenus secus est. *vid. Novella 112. cap. 1. vers. ab hoc litigiosi. junct. l. f. ff. de const. princip.* At dicta ratio in decisione *legis nostræ 2. stringere* valde nequit, cum creditor juri suo renuntiare possit *l. p. C. de pactis.* Quod si excipias, non esse hoc jus solius creditoris, sed & cœterorum creditorum: Re-  
*plicabo,*

plicabo, petamque quæ ratio hoc jus cœteris creditoribus tribuendum suaserit. Dabo unam alteramque.

## §. IV.

Et quidem *prima* esto quod malitiis hominum non sit indulgendum l. 38. ff. de *Rei vindicat.* quod fieret si liceret creditori cum hypotheca speciali intervertere jus hypothecarii posterioris ex alia hypotheca speciali. *Secundam* arcesso ex regula *Juris Naturæ* in l. 2. §. 5. in fin. ff. de *Aqua & aq. pluv.* quod mihi non nocet & alteri prodest ad id naturaliter obstrictus sum. Quæ sane rationes vix sinunt dubitare quin & in casu, quo priori creditori hypotheca generalis & posteriori specialis hypotheca est constituta, non debere priori creditori ex generali sua hypotheca agenti ad hypothecam specialem posterioris creditoris sibi acquirendam, si nihil ejus intersit agere ad hanc vel illam rem petendam, adjudicari, sed & Jurisdictionem hoc casu ut supra temperandam esse. Scio equidem opponi l. 2. ff. qui potior. in pignor. l. 8. ff. de *distract.* pignor. l. 6. C. qui potior. in pignor. Verum generalis illa æquitas necessario postulat eas esse restringendas ad jus strictum, cum argumento *nostre* l. 2. C. beatæ æque in casu d. l. 2. ff. ac in casu *nostre* l. 2. C. jurisdictione tali modo temperari. Distinguo igitur inter Jus & *Juris temperamentum.* Nec obstat, quod in debitoris potestate non sit juri prioris creditoris per secundam obligationem derogare ex l. 3. C. de *remission.* pignor. Cum inde priori creditori non præjudicetur, cum abunde ex aliis rebus possit consequi, ac licet quidem melior sit conditio ex pluribus posse petere sibi satisfieri, tamen ubi *aperte patet* non posse aliquod damnum inde incurgere priorem creditorem,

C 2

creditorem, sane jus suum salvum retinet ita ut tunc, si reliqua bona non sint solvendo, possit suum consequi ex rebus alteri specialiter obligatis. Effet enim hæc alias pura malitia velle agere ad consequendam hypothecam posteriori obligatam creditori, cum *ÆQUE BENE* (quod hic requiro) possit consequi suum creditum ex aliis bonis: Hinc licet de jure possit agere, tamen ita *Jurisdictio temperanda* est, ut prius agat ex bonis reliquis quam ex illis alteri specialiter obligatis. Nec quicquam stringit, si dicas: Illum creditorem priorem cum generali hypotheca uti jure suo adeoque nemini facere injuriam. Quia si hic uteretur jure suo tenderet id in præjudicium tertii quod tamen sine suo incommodo potest avertere. Consentit Lauterbach. *ff. qui potior. in pign. & Corvinus ad tit. ff. cod. v. si tamen:* Ubi sine distinctione in genere asserunt, debere creditori priori ex aliis bonis debitoris prius creditum suum adjudicari priusquam ad hypothecam posteriori specialiter obligatam perveniatur. Ita sentit & Costalius *ad d. l. 2. ff. qui potior. in pign.* ubi ait: *Tamen ex quadam aequitate non infavorabiliter receptum est, ut quoties ei qui prior generalem obligationem habet, posset cautum esse ex sua generali, tories is qui speciale pignus habet, in jure suo defendatur, & in illa re specialiter obligata preferatur generalem habenti.* Ubi allegat quoque Baldum & Bartolum sibi consentientes. Et in terminis idem statuit JCtus Belga Cyprianus Regneri ab Osterga. *Disputat. ad ff. XXXI. §. VII.* ubi ait: *Interim d. l. intelligit l. 2. ff. qui potior in pign. recte moribus aliarum Gentium abrogata, quia revera indulget malitiis, dum permittit creditori generali, ut possit rem specialem posteriori creditori obligatam auferre, quamvis ex ceteris bonis sibi satisfacere possit.* Groenvv. *ad l. 2. C. de Pignor. & hypothec.*

pothec. & l. b. C. qui potior. in pign. quare Costal. d. l. 2.  
de stricto jure accipit. Adde rem sape judicat. ex Treutl.  
disp. 24. vol. 2. thes. 6. lit. e. Sand. lib. 3. tit. 12. def. 26.  
Hanc summain æquitatem etiam vedit Schilter, quare  
non pigebit ejus integra verba hic quoque subjicere, dum  
in Disput. ad ff. Exercit. XXXIII. §. 32. de d. l. 2. ff. qui  
potior. in pign. scribit eam legem abrogatam esse ex  
Oösterga d. l. adjungens: quia revera indulgeat malitiis  
dum permittat creditori generali ut possit rem specialem po-  
steriori creditor i obligatam auferre, quamvis ex ceteris bo-  
nis sibi satisfacere possit. At respondent ad hoc; haud fraudè  
hoc esse posteriori creditori, quia remedium ipsi aliud jus  
suppeditarit, ut nempe offerat pecuniam creditori anteriori  
& hypothecam generalem ita redimat. Verum enim vero  
quum non omnis creditor instructus semper sit pecunia,  
qua redimere possit hypothecam anteriorem generalem, ut  
tum necesse sit defraudari creditorem posteriorem suo debito  
absque necessitate nec sine injuria, ac preterea oblatio non  
semper admittatur, secundum Brunnem. ad l. II. §. f. ff.  
h. t. ideo & hic monitum Severi & Antonini Impp. obser-  
vandum fuerit, ut jurisdictio tamen temperetur, l. 2. C.  
de Pignor. & ad officium judicis pertineat, hypothecam  
specialem creditori posteriori integrum servare, si prior ex  
ceteris generaliter obligatis bonis universum redigere debi-  
tum possit. Sed & quum Moribus nostris judicis confir-  
matio exigatur, provideat iudex, ut potius generali hy-  
potheca & posterior creditor tutus sit, ut ex residuo hic  
falsificationem impetreret. Id enim jus naturæ præcipit, ut  
quicquid sine detrimento possit concedi id tribuatur cuique  
vel ignoto. Alii Doctores vero d. l. 2. ff. qui potior. in  
pign. & f. non juxta æquitatem prædictam, interpretantur  
sed eas in totum sequuntur uti sunt inter alios Petrus de

C 3

Greyc

*Greve ad l. 2. ff. qui potior. in pign. Mevius comm. in jus Lubec. p. 3. tit. 1. art. 12. num. 60. Eckolt. ad ff. tit. Qui potior. in pign. §. 3. in fin. Brunnem. ad l. 2. C. de Pignor. Carpzov. Decis. 62. & part. 1. const. 28. def. 128. Peretz. ad Cod. tit. de Pignor. num. 17. & ad tit. Cod. qui potior. in pign. num. 7. Ampliss. Huber. in prælect. ad ff. tit. Qui potior. in pign. num. fin.*

## P O S T I C U M.

**E**T hæc sunt quæ pro hac vice de hisce legibus ut nobilissimis ita frequentissimis monere volui. Fatae or equidem multa residua esse, quorum discussio huc quoque pertinceret, pluraque apposita quæ limatiōrem & politiorem tractationem desiderarent. Verum partim instituti temporisque ratio partim instans iter me hic avocat. Interim DEO T. O. M. sit laus honor & gloria quod cœptis hactenus meis Spiritus sui auxilio tam clementer adesse voluerit, quo quidem & ne imposterum dedignetur meis adspirare Studiis, est quod calidissimis precibus à divina ipsius benignitate rogito. Tu vero Lector Benebole omnia æqui bonique ut consulas expeto: *Æqui enim lectoris est semper in benigniorem partem deflectere, ut ait Justus Lipsius in prefat. Politicor. ad Lector.*

## T A N T U M E S T.

COROL-

## COROLLARIA.

## I.

**Q**uartitur an liceat animal pauperiem faciens retinere illi cui damnum datum donec satisfaciat ipsi Dominus? Id non tantum Moribus universæ Germania obtinere testatur Mevius l. decis. 34. num. 13. Sed & de jure. Civili certum esse eleganter satis & accurate probat Magnificus atque Excellentissimus Dominus Feltman. in tract. de inclus. animal. cap. 2. quem citat & sequitur Schuven-dendorffer. in annot. ad Eckolt. tit. ff. si quadrup. pau-per. feciss. dicat. in fin.

## II.

Precarium esse contractum, non dubito cum VVesemb. ad tit. ff. de Precar. Præcipue cum & actionem præscriptis verbis pariat precarium, uti patet ex l. 19. §. fin. l. 2. §. 2. de Precar. l. 5. de Præscript. verb. Lauterb. ff. de Præscript. verb. in quint. D. exteriori. licet enim cesseret actio civilis nominata per l. 14. ff. de Precar. l. 14. §. II. de furt. aquum tamen est me meum repetere posse per l. 1. §. 2. & l. 2. pr. ff. de Precar. Tum quoque quod Precarium expresse inter contractus referatur in l. 23. ff. de R. J. Dissidentem Lauterbachium ad tit. ff. de Precario. audivi quidem ab Excellentissimo Domino Berendts Antecessore Regismonti in Borussia, defendi, Respondendo ad d. l. 23. de R. J. ibi vocem contractus late sumi. Quod nos non negamus, non enim dicimus Precarium esse verum contractum sed quasi contractum innominatum do ut des, si verbum dandi late sumas, vel facio ut des, cum ex precario nascatur conditio incerti per d. l. 19. §. fin. de precar. adeoque pateat aliquid improprietas in eo latere. Verum ne quis putet precarium plane non esse contractum, subjungit Julianus hanc incerti

*incerti condictionem eandem esse cum actione Praescriptis  
verbis in d. l. 19. §. fin.*

## III.

*Judicium rescindens esse preparatorium, judicii rescissio-  
rii in casu si actio amissa restituenda est, statuo per rationes  
& argumenta quæ Francofurti ad Viadrum mense Novem-  
bri 1692. late defendi in Disputatione de Diversitate Ju-  
dicii rescindentis & rescissorii, sub Praesidio Summi Juris-  
Consulti Dn. Henrici Cocceji Antecessoris in Academia Via-  
drina. Vid. in specie casum in d. Disput. Sect. 2. §. 5.*

## IV.

*Contractus do ut des non unam sed plures species esse re-  
cete statuunt Doctorum Veterum Communis Schola, Lauter-  
bach. ad tit. ff. de Rer. permut. in fr. & ad tit. ff. de Præ-  
script. verb. in pr. ac Schuwendendorffer. in annotat. ad  
Eckolt. ff. de rerum permut. §. 3. Non enim tantum con-  
tinet permutationem, in hac enim datur aliquid ut acci-  
piens pro illa vicissim det rem aliam ejusdem vel diversi  
generis l. i. pr. §. i. de Contrah. empt. l. 58. de Procurat.  
Sed & alias species: Cum in contractu do ut des detur res  
ut eadem cum alia, vel sola, vel tota vel pro parte resti-  
tuatur. Ita hujus contractus do ut des species est Æstima-  
torius contractus, ubi datur res ut eadem vel estimatio ejus  
restituatur l. i. pr. §. i. de Æstimator. act. l. 17. §. i. de  
Præsc. verb. Alia exempla hujus contractus do ut des ha-  
bes in l. 5. §. i. de Præscript. verb. l. 5. l. 7. C. de Rer. per-  
mut. ubi permutatio non est dum ago ad rem meam repe-  
tendam, vel ut damnetur accipiens quanti mea interest,  
illud de quo convenit, accipere, quasi ob rem datam rem  
non secutam, sed ago ex contractu innominato condictione  
causa data causa non secuta. Vid. Coroll. 8. infr. Aliud ex-  
emplum est in casu l. 17. §. 5. de R. V. Ubi si quis sponsionis  
causa*

## COROLLARIA.

25

causa annulos acceperit, ut eos victori tradat, nec reddat victori, actione præscriptis verbis ex contractu do ut des victori tenetur. Aliud exemplum est in casu l. 18. de Præscr. Verb. cum deposui apud te pecuniam, ut eam dares Titio si servum reduxisset, & si non dedisti Titio, quia servum non reduxit, neque mihi eam reddas, teneris mihi ex contractu do ut des, actione Præscriptis verbis. Aliud exemplum est in l. fin. cod. si dedi tibi scyphos, ut vel hos, vel ejusdem ponderis argentum redderes, erit contractus do ut des. Alios casus habes in l. 8. l. 10. l. 17. §. 2. eod. l. 21. junct. l. 9. C. de donat. Aliud est in l. 23. de Præscript. verb. dum ad rogationem tuam tibi annulum inspiciendi gratia exhibeo, ac si in flumen inciderit, teneris mihi actione in factum i.e. Præscriptis verbis per l. 22. cod. ideo enim traxi ut mihi redderes. Aliud exemplum præbet Precarium: Verbum enim dandi non tantum stricte, sed & late sumitur in contractu do ut des. §. 2. I. quib. m. re c. obl. Nam hæc quoque intercedit differentia, inter permutationem & contractum do ut des, in hoc enim semper non est necessaria dominii translatio, secus in illa, l. 4. ibi: nullam habere, & cum ab eo suscepere dominium. C. de Rer. perm. nam rei alienæ permutation nulla est respectu dantis, l. 1. §. 3. de Rer. perm. Quidam vero Doctores in eo querunt differentiam inter contractum do ut des & permutationem, quod permutation sit certa speciei, sed do ut des sit generis. Sed Male: cum permutation quoque possit esse generis & rei incertæ, per l. 7. C. de rer. perm. l. 5. §. 1. de Præscr. verb. Aliud exemplum contractus do ut des exhibet nobis Busius ad l. 1. ff. de Rer. perm. n. 7. in fin. in casu si convenerint partes rem justo pretio alicui venditam esse, ubi cum nulla emtio contrahatur ob pretii incertitudinem l. f. C. de contrahen. empt. ait tamen in

D

Praxi

## C O R O L L A R I A.

*Praxi hanc conventionem valere ut contractum do ut des. Quod suo loco relinquimus. Denique & hac notabilis differentia est inter contractum do ut des & permutationem quod contractus do ut des duas species, tantum sint bona fidei, nempe permutatio & contractus estimatorius, l. i. pr. de AEstimator. §. 28. I. de Action. Relique vero species sunt stricti juris arg. d. §. 28. Lauterb. ad tit. ff. de Praescript. Verb. in pr. Cujus usus quoque est secundum illos DD. qui asserunt beneficium l. 2. C. de Rescind. vendit. obtainere tantum in b. f. contractibus, non in contractibus stricti juris.*

## V.

*In dubio sententiam regulariter non contra, sed pro fisco ferendam esse, censeo cum Amplissimo Dn. Stryckio in Disput. quam Hallæ novissime audivi de sententia contra fisc. ferend. ad l. 10. ff. de J. Fisci.*

## VI.

*Juris in re speciem inter alias quoque esse Jus dotium non dubito. Ita & statuit Magnif. Dn. Feltman. in tract. de jure in re & ad rem. cap. 18. quem sequitur Illustris Dn. Rhetius Instit. Jur. Publ. lib. 2. tit. 1.*

## VII.

*Fratrum filios indistincte succedere in stirpes & non in capita sive succedant cum tibiis sive non, statuo per ea quæ defendi late in disputatione de Irnerio injuria Vapulante part. 1. coit. secund. sub praesidio Clariss. Dn. Fratris mei.*

## VIII.

*A criterio disceptari solet an Condictio causa data causa non secura oriatur ex quasi-contractu an autem ex contractu innominato vero. Prius affirmat Lauterbach. ad tit. de Condict. caus. dat. caus. non secut. Posteriorus statuit Ampliss. D. Huberus præl. ff. d. t. Quam posteriorem sententiam*

tiam & nos sequi patet ex Coroll. IV. præced. ibi per l. 5.  
 §. I. de Præscript. Verb. &c. Nam hac condicō nascitur  
 ex natura contractus, ideo enim res datur ut alter vicis-  
 sim quid præstet, quo cessante id egisse constat ut possit agi  
 hac condicōne. Lauterb. ff. de Condit. caus. dat. Neque  
 hic speciale quid est, dari hanc actionem ex ipso contractu  
 ad rescindendum, hoc enim in jure valde frequens est. Idem  
 enim contingit in casu si deposui rem apud Titum ad cer-  
 tum tempus, sed dein pænitentia ductus, ante finem ejus  
 temporis repeatam rem depositam actione depositi, ad rescin-  
 dendum contractum. l. I. §. 45. & 46. ff. deposit. jung. d. I.  
 I. §. 22. Ita ex actionibus Finium regundorum, Familiae er-  
 ciscundæ & Communi dividendo nascitur actio ex ipso con-  
 tractu ad rescindendum l. 2. §. I. l. 4. pr. & s. ff. Finium re-  
 gund. l. I. l. 2. & s. ff. Famil. ercisc. l. 3. pr. l. 4. pr. & s.  
 ff. Comm. divid. Ita quoque emtio venditio in qua quis  
 læsus est ultra dimidium rescinditur actione emti ex l. 2. C.  
 de Rescind. vend. Ita si quis virginem emere se putasset  
 cum mulier venisset competit ei ex empto actio ad resol-  
 vendam emtionem l. II. §. 5. de action. empt. Jung. l. 6.  
 §. I. de Contr. empt. Ita ex omni contractu innominato,  
 nisi factum modo fuerit præstitum, nascetur actio ad re-  
 scindendum, nempe condicō nostra causa data causa non  
 secuta. Lauterb. ff. de Permut. lit. O. posterior.

## IX.

Vinnius & reliqui Doctores qui in §. I. I. de Pœn. temer.  
 litig. verba: vel tripli: expungunt, produnt se textus illius  
 sensum non capere, cum tamen casus ille sit in legato ad pias  
 causas & in deposito miserabili, ubi si heres vel depositarius  
 præter dolum morare insipientur, condemnari debent in  
 triplum. Quam sententiam cum in aliis Academiis non au-  
 diverim nec alibi legerim, sed nuper admodum à Clariss.

D 2

D. Fra-

## COROLLARIA.

D. Fratre publica propositam lectione præsens perceperim, libet eandem, ut veritas hujus novitatis elucescat, heic proponere. Invito adeo Nobiliss. Dominos Opponentes, ut argumenta in specie contra hoc Corollarium nonum dirige-re velint. Argumenta quibus nova sententia stabilitur pro- posuit Ampliss. Dn. Frater coram numerosissimo auditorio, quæ cum adhuc hæreant in memoria satis recenti, ea adscri- bere nolo.

## APPLAUSUS VOTIVI

DN. WERNERO JUSTINO PAGENSTECHER,  
Jurium Candidato uti Nobilissimo, ita omni ex  
parte Politissimo atque vere pereximio:

Cum  
Post frequentatas utriusque Germanicæ Academias, quatuor  
imprimis Brandenburgenses, DUISBURGENSEM puta,  
REGIS-MONTANAM, VIADRINAM,  
& HALLENSEM,  
Pro summis suo jure meritoque capessendis in jure  
Utroque Honoribus Doctoralibus, inau-  
guraliter disputaret.

## I.

PREœmia dum mitra fers Doctoralis, honori  
Cur multum grater, Frater amande, Tuo?  
Curtior ergo tuum nux ista includet Homerum?  
Hem! mage prælustris culminis omen adest.  
Tu meritis merita adde tuis, & nomen avitum  
Per te incrementis fulserit usque novis.  
Qualis Apelleæ palmam dat Caunius arti,  
Parrhasiamque stupet Zeuxidis uya manum.

A. A. PAGENSTECHER.

II.

MEMORIAE ET AMICITIAE  
SACRUM.

Nunquam gignit oves magnanimus Leo  
Infirmas, asinos tardipedes volans  
Nullo progenerat tempore *Pegasus*.  
In Pullo volucris splendet equi patris  
Virtus, magnanimos procreat Hercules.  
PAGENSTECHERIDES, delicium Deæ,  
Quæ leges gladio temperat arbitra,  
Teitis, nobilium progenies Virum;  
Nunc Astræa Tibi conciliat manum  
Per tot ductam Atavos, Corcula Patriæ,  
Nec non & Themidos Corcula Virginis.  
Jam nunc *Gorgoneo* nobilis alite  
Gestis *Bellerophon* scandere culmina,  
Queis splendescit Honos tergeminus Patrum.  
Sic ex Castalia ducis originem  
Stirpe: est hinc, merito quod Tibi gratuler,  
Cum vim promoteas nobilis insitam  
Et docto ferias Sidera vertice!

Ita ad Gentem, Nomen & Insignia  
Nobiliss. Candidati non sine  
omine alludebat

HENR. CHR. HENNIN, D.  
Artium Salubrium nec non Hu-  
manior. & Gr. L. P.P.

D 3

MADRI-

## M A D R I G A L E,

*In onore & lode del Nobiliss. & Dottiss. Sigr. il Sigr. GUERNERO GIUSTINO PAGENSTECHERO, Figlio, Nepote, Fratello & Parente de gli Eccellentiss. & Illustriß. Giurisconsulti, Cancellarii, Presidenti, Consiglieri, & Professori della Giustizia ; quando disputava in pubblico col applauso per la Dottura in ambedue Leggi nella celeberrima Università Elettorale Brandenburgica di Duisburgo.*

**P**AGENSTECHERO, che dell' antica razza  
Mostrate quella Virtù viva,  
Ch' a tanta luce arriva,  
Ch' Astrea illustra, che mia Musa passa:  
*Amico mio, ch' industrioso accogli*  
Fra questi dotti fogli,  
Quanto di bello trovi  
Nelli Leggi infiniti antichi & nuovi :  
Di tuo chiaro ingegno  
Veggiam si faggio pegno;  
Qual onor farà a tua saviezza  
Eguale, a tua bella gentilezza?  
La FAMA scrive il tuo Nome in carte,  
Et Tuo ingegno ricerca maggior arte.

*Questi sono della Poesia Italiana  
i sforzi piccioli del*

M E D E S I M O.

III.

Stemmatis, Indolis, Educationis, Eruditionis,  
ac Experienciarum prærogativis

*Præstantissimo, juxta ac Consultissimo Viro,*

DN. WERNERO JUSTINO PAGENSTECHER,  
Pro diu merita J. U. Lauro, *Disputationis  
Publicæ ritum obeunti:*

O D E.

UT gerræ fuerint quæ Samio Seni  
De fato referunt traduce mentium,  
An Patrum male mentes  
Prognatis Tragicus dedit?

Est qui à magnanimo Sanguine degener,  
Pisander timidus nascitur Hercule;  
Qui Patremve Platonem  
Laudat stultior Embaro.

Non raro gremium sic Genetyllides  
Naturæ satagunt fallere cum ioco,  
Quæ mater tamen ipsa  
Adstat sæpius obstetrix.

O felix utero quem simul excipit,  
Liquentumque premens ad dapum penu,  
Defæcat quod alumno  
Optat cedere victui!

Hac, WERNERE! Genus sorte vel exprimis,  
In splendente Patrum dotibus Indole;  
Vel Patres redivivos  
Uno corde premis Tuo;

Quo

32) Is.

Quo Musæ faciles sic inoleverint,  
Quo gazasque suas sic Themis abdidit,  
Pallas quo Eusebiæ, quo  
Aglaiaeque Sororibus  
Virtus imperium candida dividit.  
Quin annos, Genii præcipis impetu,  
Quæsitaque per Orbis  
Oras Experientia  
Rerum, quotquot opus fulgere maximis  
Et pollere Virum, culmina Gloriæ  
Prensantem. Neque Lauro  
Hac cingente comam, decus  
Accessisse Tibi celsius audies,  
Ni quod sera vehas partaque jam diu  
Te Viatore trophæa,  
Tanto ut splendidius inicent.  
Confortes sibimet, respice, plausuum  
Ut Festum calido verbere dividant,  
Communi quod honoris  
Hoc infers jubar Ordini.  
Metam non igitur Pieris hanc mea  
Exorsa patiens figere carmini,  
Sacro incensa furore,  
Sursum me super æthera  
Raptum sollicitat multa recluserim  
Majestate sinus abdita Numinis,  
Eventusque futuros  
Versu fatidico canam.  
Nil vulgare vides, infit. Hic ordine  
Fatorum stabili mitia de Colo  
Vitæ stamina ducet,  
Supremo Jove prospero.

Nec

• 6 (33) 50

Nec verni Zephyro temporis imputa  
Vultum quo renitent & Polus & Solum,

Hæc qui fata benigni

Jam volvi sua gestiunt

Dilecto Capiti. nam celerat dies

Astro qua similis nubila fregerit

Ortu, lumina spargens

Vasto limite Teutonum.

Terrarum Dominis gratus, ad ardua  
Pertinger Merito munera, Gentium

Præfectusque, verenda

Dicet Jura Quiritibus.

Ac, cernis? veniunt tempora, Strenuo  
Quis cum FRATRE, Sua luce resulgeant

Orbi, Tyndaridarum

Bino fidere clarius.

Hæc ambage procul dum fero, Cynthus  
Aurem Vaticini vellit; & admonet:

„Quam cerno prope, sortem

Nulli Pieridum Lyræ

Permitto: propria carmina molior

Dextra, quæ resonet circulus Orbitæ.

Tu reptante quid isto

Cantu deteris ardua?

*Quæ negavit Apollo, enixo saltem  
magnaque præsagienti corde  
prosequitur*

D. H U G U E N I N U S.  
D. & P. P.



## Glückwünschungs

### S O N N E.

**S**o geh't man auf dem Streit dem edlen Preis entgegen:  
Es bring't der munt're Fleiß Ihm jetzt den ersten Lohn/  
Die Themis steh't bereit und beut die Doctor Krohn/  
Sie will dies Edle Pfand umb seine Stirne legen/  
Als überwohl verdient. Ich seh' Ihn auff den Wegen  
Der wack'ren Ahnen geh'n; Und zwar bey'm Anfang schon/  
Steh't Jederman bestürkt / denckt was wird auf dem Sohn  
Noch für ein grosser Mann? Ja wohl ein hoher Segen!  
Läß Ihn des Vatters Ruhm und Herren Bruders Ehr  
In seinem Tugend-Weg ermuntert' ren mehr und mehr;  
Gott geb' / daß deren Ruhm Er noch mög überwinden/  
Die da verEwig't schon in Crios Buch sich finden.  
Was Er darüber wünscht / das geb' Ihm ohne zahl  
Des hohen Himmels Güt / nach seiner eig'nen Wahl.

Dem Hochgelehrten Herren Doctorando,  
Seinem hochgeschätzten Freunde schrie-  
be dieses zu wohlverdienten Ehren

CLEMENS BERG. J. U. D.  
Moral. & Polit. Prof. Publ.

Kling.

•§ (35) 50

V.

## Kling-Gedicht/

An

Den HochEdlen und Hochgelehrten Herrn/  
**W. J. PAGENSTECHER,**

Als

Derselbe nach rühmlich volbrachten Studien, und glücklich ab-  
gelegten Reisen durch Deutschland / Holland / Preussen / Böh-  
men und Dennemarck rc. Den 8. Martii 1694. zu Duis-  
burg umb die Hohe Doctor wurde öffentlich und  
Hochstrühmlich Disputirte.

Will Er dan werthster Freund / nach Themis Tempel gehen/  
Wo der gelehrte fleiß mit Ehren wird gekrönt?  
Ist endlich sein entschluß / daß jeder solle sehn/  
Wie längst verdiente Ehr mit Lorbern wird beschont?  
Ich wünsche glück dazu! die süsse Zefyrs wehen  
Schon lauter Blumen-Duft / die Palme-Zier sich sehnt  
Jetzt umb sein kluges Haupt in voller pracht zu stehen/  
Weil Er die beste Zeit dem Rechten hat verlehnt.  
Der Purpur / Hut und Ring / die grosse Doctor-würde  
Die stehen vor der Thür mit ihrer schönen bürde  
Zu seiner Ehr bereit. Doch höher Glück und Ehr /  
Das wartet seiner schon zu Staats und Landes nutzen /  
Es mach das Eleffsche-Land auff solche Söhne trugen!  
Und eine Doctorin auf solchen Mann noch mehr.

Wie solches hoffet und wünschet des Herren  
Doctorandi Schuldigster Diener  
und Better

B. von BENTHEIM.

## S O N E C C.

Von tapffren Löwen sprosst ein blöder Hase nicht.  
 Kan auch ein Spatz wohl vom Adler Bluth her-stammen?  
 Wie kan ein Eis bestehn wo Feuerblicke flammen?  
 Wie kan die Finsternis sich stallen bey dem Licht?  
 Kein wunder ist es daß mein Lejer hie zerbricht  
 Und ihre Seiten-Kunst nicht halten kan zusammen  
 In dem dein Feuer-Geist von deinem Stam will stammen.  
 Und sich zum Ahnen-Lob der Pagenstecher / richt't.  
 Mich dündkt / die Gräber thun sich igo frölich auff/  
 Da wo das graue Haupt der zweyten Kanzlern lieget /  
 Da auch wo Hessen sich vohr seinen Fürsten bieget /  
 Da auch wo Steinfurt blühtt: und wünschen deinem lauff  
 Viel tausendt Wünsche zu: Es müssen viele Jahren  
 Den Pagenstecher-Sproß zur Lust Europens spahren.

Dieses wünschet Seinen Höchstgeschätzten  
 Herrn Vettern von Herzen

ARN. CHRIST. von BENTHEIM.

MIEHLTHAG nov 31

Kd 3358  
8



PA-206  
6-stück fehlt noch

VD 77



B.I.G.

Farbkarte #13

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Cyan

Blue

Centimetres

Inches

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19

JURIDICA  
ALIS,  
CERTUM.  
Conducti,  
IS CON-  
. & Hypoth.

Æ TRINITATIS  
ÆSIDIO,

HORITATE  
*c Consultissimi,*  
MORDINIS,  
æ Duisburgi Clivo-  
e literaria,

oribus. ac Privilegiis  
er consequendis,

*proponit*  
PAGENSTECHER,  
LIVIUS,  
*ori, horis consuetis.*

HE NUM,  
demiæ Typographum,  
CIV.

